





DISPUTATIO INAUGURALIS

33.

de

12

SPONSIONIBUS
Jon Wettungen.

1662, 1.

Quam

Divini Numinis fiducia

EX DECRETO ET AVTORITATE

MAGNIFICI, NOBILISSIMI AMPLISSI-
MIQUE

JURISCONSULTORUM

Ordinis in celeberrimâ Argentoratensium

Universitate

pro

Consequendis summis in utroque jure honoribus
& privilegiis Doctoralibus


Eruditorum SOLENNI censura subjicit

JOANNES GEORGIUS Appold

Onoldo-Francus.

ad diem 6. Februarij,

loco horisq; solitis



ARGENTORATI,

Typis CAROLINIS.

ANNO MDC LXII.



VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS ET CONSVL-
TISSIMIS,

DN. JOANNI LIMNAEO, Jcto,
SERENISSIMI MARCHIONIS ONOLDO-
Brandenburgici Consiliario Intimo atque
Camerario Eminentissimo.

DN. GEORGIO SHELLEN, Jcto,
laudati Principis Consiliario Intimo & Aulico, nec non
Provinciali Excellentissimo, Avunculo suo
parentis instar Honoratissimo.

DN. LAURENTIO SESEZIN, Jcto,
eiusdem Principis Consiliario Intimo & Aulico,
Feudorumque Praeposito
Gravissimo.

DNN. PATRONIS ET PROMO-
toribus suis omni honoris & observantia
cultu et atem prosequendis,

Dissertationem hanc Inauguralem
in ulteriorem sui, studiorumque suorum
commendationem

offert & consecrat

Aliens devotissimus

Joannes Georgius Appold.

I. N. D. N. I. C.

Præfatio.

Recceptum est hætenus more Aca-
demico, non utili minùs, quàm laudabili, ut
non obsoletæ, & ab usu nostro longè remo-
tæ, sed quotidianæ ut plurimum, usuque frequentes,
quæque in ipsis rerum obtinent argumentis, ad dispu-
tandum proponantur materiæ. Itaque cùm & mihi,
exantlatis, non ita pridem, ordinariis utriusque juris
examinibus, thema aliquod, loco Disputationis Inau-
guralis, solenniter exhibendum esset, hanc præcipuè
SPONSIONUM materiam seligere volui, utpote quam
non modò non iniucundam, sed & quotidianam, &
inter mercatores præsertim, frequentissimam, vid.
Straccha *tr. de spons. p. 1. n. 1.* Zoel *ad ff. tit. de aleat. n. fin.*
Arism. Tapat. *in decis. tit. 539. c. 5.* Hieronym. Magon. *de-*
cis. Flor. 8. n. 1. Christinae. *volum. 2. decis. Belg. 200. n. 9.* P.
Santern. *tr. de affec. & spons. p. 2. n. 21.* Wehner. *in observ.*
pract. voce wetten. Finckelthaus. *Obs. 33.* atque adeò uti-
lissimam, à paucis tamen hætenus methodicè pertra-
ctatam deprehendebam. Quamvis autem non igno-
rem, esse nonnullos, qui has sponsiones nostras illicitas,
& nullius momenti, ideoque ad producendam ef-
ficacem aliquam obligationem prorsus inidoneas esse
arbitrantur: cùm, quia sponsiones (utpote quæ ex in-
certo fortunæ dependent eventu) recidunt in aleam,
quæ semper fuit deterrimum prodigalitatis instrumē-
tum, & quo plures ad inopiam redacti, blasphemare
DEUM, *l. f. C. de aleat.* aliaque facinora longè gravissima
perpetrare ausi sunt; tum, quia in genere omnes istius-

2.
modi contractus fortunæ plerunq; Reip. sunt inutiles, imò perniciosi, ideoque explodendi potius, quàm permittendi. *arg. §. ult. l. de h. qui sui v. al. jur.* Ob quas rationes etiam Belgarum & Gallorum moribus eas improbari, (nisi tales sint, in quarum eventû partium utilitas vertitur, ut assecurationes) post alios à se allegatos tradit Sim. à Groenevege, *tr. de LL. abrog. ad. l. 108. ff. de V. O.* Ego tamen hisce non obstantibus, illas omninò, si modò honestæ sint, omni jure licitas, & ad producendas actiones efficaces esse, firmiter concludo: cùm, quia quicquid non est prohibitum, illud intelligitur concessum. *arg. l. 7. C. de relig. & sumt. fun. l. 4. C. de jure dot. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maior. tum, quia quilibet rerum suarum moderator & arbiter, l. 21. C. mandat. & iniquum est, ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem, uti loquitur Gaius in l. 2 ff. si à parent. quis manum. sit. tum deniq; quia sponsiones non jure tantùm Civili: l. 3 ff. de aleat. l. 37 ff. de R. C. l. 17. §. f. ff. de P. V. l. 5. ff. de N. F. l. 57. l. 63. l. 108. l. 129. ff. de V. O. sed diversorum quoque locorum statutis, l. Prov. Würt. part. 2. tit. 24. §. wann zween oder mehr. Statut. Lubec. lib 3. tit. 8. a. 3. Reform. Francof. tit. von wetten. & receptas esse constat, & approbatas vid. *Christinæ. volum. 2. decis. 198. n. 1. P. Heig. p. 2. q. 10. n. 53. & seqq. Besold. ad Ord. prov. Würtem. fol. 210. n. 9. Gomez. variar. resol. tom. 2. c. 11. n. 4. Mynsinger. ad c. si cautio. 13. X. de fid. instrum. n. 22. Sigism. Scacc. tr. de comm. & camb. §. 1. q. 1. n. 88. & seqq. Grivell. decis. Dolan. 57. n. 10. & multis seqq. Quinimò etiam jure Saxon. sponsiones honestas nullibi prohibitas, sed reverâ concessas esse, disertis verbis tradit *Carpzov. l. F. p. 2. const. 19. def. 18. n. 9. & seqq. & in practic. criminal. p. 3. q. 134. n. 32. Goeddæ, de contr. & committ. stipul. c. 6. n. 20.***

ibom
in fin.

^{3.}
in fin. Hæc ita præfatus, ne, plura addens, soli lucem
 foeneraturus videar, accingor jam ad propositæ ma-
 teriæ methodicam tractationem, quæ ut feliciter suc-
 cedat,

Adspiret SACROSANCTA TRIAS, cæptumq; secundet!

Positio I.

Sponsio nomen verbale est à spondendo derivatum, & Etymologia.
 ex eo dictum, quòd sponte, i.e. voluntariè, libenter ac li-
 berè fiat: idem enim est sponte, & voluntate quid fieri, au-
 tore Varrone *lib. 5. de Ling. Latin. ibi: Despondisse quis filiam diceba-*
tur, quòd de sponte eius, i.e. voluntate exierat. add. *Gæddæ. ad l. 7. ff.*
de V. S. n. 15. P. Gregor. Tholof. syntagm. jur. univ. lib. 24. c. 1. n. 2. Be-
fold. in thesaur. pract. voce wetten. Calvin. & Schard. in Lex. jur. suis
loc. Becman. de criz. Latin. ling. voce spondeo.

II. Habet autem hæc vox duplicem potissimùm signifi- Homonym.
 cationem, generalem aliam, aliam verò specialem. Et in ge-
 nere quidem omnem promissionem, quocunque modo factam
 denotat. *l. 7. & ibi Gæddæ. n. 15. ff. de V. S.* Hinc nonnunquam
 etiam pactionis loco accipitur, ut in *l. 7. §. quod ferè. 12. ff. de pact.*
Rittersh. in commentar. ad S. in personam quoq; I. de act. Quinimò
 etiam spondere dicuntur susceptores pro infantibus in bap-
 tismo. vid. *Hering. tr. de fideiuss. c. 18. n. 59. & seqq.* In specie verò
 iterum diversimodè capitur: I. enim spondere veteribus de fir-
 mioribus tantùm & sanctioribus pactis dicebatur, quæ adhibi-
 tis libationibus (quas Græci *σπονδαίς* vocant) fiebant, unde Xeno-
 phonti in *Cyripad. lib. 4. σπονδαίς ποίνσαδς* idem est, quod sanctè pro-
 mittere, teste P. Gregor. Thol. *syntagm. jur. univ. lib. 8. c. 2. num. 4.*
 Hinc etiam spondere dicuntur futuræ uxores, *l. 2. ff. de sponsal. vel*
earum nomine ipsi parentes; ita legimus apud Plautum in Aulul.
act. 2.

Me: quid nunc etiam mihi despondes filiam? Eu. Illis legibus,

Cum illa dote, quam tibi dixi. Me: sponden ergò? Eu. spondeo.

vid. *Gell. lib. 4. N. A. c. 4. Gædd. de contr. & commit. stip. c. 1. n. 74. &*
add.

ad d. l. 7. ff. de V. S. n. 1. **II.** Sponsio olim etiam dicebatur illa promissio in actionibus, & praesertim in interdictis adhiberi solita: faciebant enim litigantes sponsones certae pecuniae, quae eius lucro cederet, qui iudicio vicisset: ita Cicero in Orat. pro A. Caccinna: erat enim, inquit, Caccinna de fundo vi armata deiectus, propterea Praetor interdixit, ut unde deiectus restitueret: restituisse se dicit, sponsio facta est: hac de sponsione vobis iudicandum est. vid. omnino Rosin. lib. 9. Ant. Rom. c. 13. Brisson. l. 5. formul. p. m. 369. vers. sponsionibus etiam. P. Gregor. Thol. synt. jur. univ. lib. 23. c. 3. n. 7. Wesemb. π. tit. de interd. n. 7. ferè in fin. Grivell. decis. Dol. 57. n. 20. **III.** Nobis hoc in loco sponsones sunt illae conventiones, quibus aliqui de eventu rei alicuius incertae dissentientes, deponunt aliquid, promittuntque, quod eius lucro cedat, qui veritatem assecutus fuerit.

Synonym.

III. Et in hac significatione variis hinc inde proferuntur nominibus: ab Hispanis vulgo apostae vel apuestae dicuntur: P. Santern. tr. de assec. & spons. p. 1. n. 2. Hering. tr. de fideiuss. c. 18. n. 42. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 11. n. 4. ab Italis Scomissae, scommessae vel etiam discomessae nuncupantur. Stracch. tr. de spons. p. 1. n. 1. Scaccia. tr. de comm. & camb. §. 1. q. 1. n. 88. Arism. Tapat. in decis. tit. 539. c. 5. H. Magon. decis. Flor. 8. n. 1. Philipp. Pascal. tr. de virib. patr. pot. p. 1. n. 93. Galli eas gageures vocant. P. Gregor. Thol. syntagm. jur. univers. lib. 23. c. 3. n. 6. Dicuntur aliàs conventiones conditionales. P. Santern. d. tr. p. 2. n. 2. item conditiones. Stracch. d. tr. p. 1. n. 6. promissiones reciprocae. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 11. n. 4. Dn. Tabor. in iurisprud. elem. p. 3. f. 4. th. 38. in d. d. vadiationes. Scacc. d. q. 1. n. 90. & 92. Molina. de I. & I. t. 2. disp. 508. n. 1. vadimonia. Scacc. d. loc. n. 97. guadiae. Stracch. d. tr. p. 2. n. 3. Christinae. vol. 2. decis. Belg. 200. n. 9. depositiones. Scacc. d. q. 1. n. 88. & 124. in fin. Zoëf. ad π. tit. de aleat. n. 10. Interdum etiam generali vocabulo conventionum vel promissionum indigitantur: post Dec. & Matth. de Affl. Stracch. d. tr. p. 1. n. 6. Christinae. d. decis. 200. n. 9. Germanicè dicuntur Wetungen / item wetten. Wehner. in observ. Besold. in thesaur. pract. voce wetten. Quamvis aliàs (quod obiter noto) vocabulum wetten apud Saxones idem sit quod mulctari, & Wette sive Gewette!

5.
wette idem quod pœna pecuniaria, sive multa, eine Geldstraff.
vid. Wehn. & Befold. *dd. loc.*

IV. Huic Sponsionis voci cognata sunt multa alia voca- Paronym.
bula, ex eadem radice descendencia, ut: sponsalia, sponsus &
sponsa, l. 2. & 3. ff. de sponsal. item desponsatio, Becman. *de orig.*
Lat. ling. voce spondeo. item conspondere & respondere. P.
Greg. Tholos. *synt. jur. univ. lib. 24. c. 1. n. 2.* & si quæ sunt similia.

V. Definitionem nominalem hæcenus utcunque expli-
catam sequitur realis, quam varii variam faciunt. Nonnulli
enim sponsionem ita definiunt: quæ sit promissio quædam re-
ciproca, quæ quis perdendo obligatur, vel pecuniam, vel quid
aliud solvere. Befold. *in thes. præct. voce wetten.* Alii definiunt per
contractum, quo de veritate alicuius rei, vel eventû contenden-
tes, vicissim aliquid spondent, quod fiat illius, qui veritatem fue-
rit assecutus. Zoëf. *in comment. ad ff. tit. de aleat. n. f.* Dn. Tabor. *in*
Jurispr. Elem. p. 3. s. 4. th. 38. in iudicior. Christinæ. vol. 2. decis. Belg.
198. n. 1. Strein. *in summ. jur. Canon. p. 2. tit. 12. §. 2. n. 1.* Molina. *de l. &*
l. t. 2. disp. 508. n. 1. Mihi, salvo aliorum iudicio, placet ea, quam
tradit Amplissimus Dn Lauterbach/ Patronus, ac quondam Præ-
ceptor meus ætatem colendus, *in prælect. suis publ. ad tit. ff. de aleat.*
§. ult. membr. 2. quod nimirum sponsiones nihil aliud sint, quam
conventiones, quibus de veritate & eventu alicuius Definitio.
rei contententes, ponunt aliquid, promittunt vè eâ le-
ge, ut victori cedat. vid. etiam P. Santern. *d. tr. de asscur. &*
spons. p. 1. n. 2.

VI. Quod ad divisionem sponsionum attinet, sciendum Divisiones.
est, & illam à diversis diversimodè concinnari. I. enim sponsiones
olim aut judiciales fuerunt, vid. supra *th. 2. n. 2.* & infra *th. 48.*
aut ludicræ. Christinæ. *vol. 2. d. c. f. Belg 200. n. fin.* Grivell. *decis.*
Dolan. 57. n. 16. & 20. II. Sponsiones à nonnullis ad tria potissi-
mùm genera referuntur, quorum primum est, quod depositis
pignoribus fieri solet. Alterum, quod sit interpositâ stipu-
latione, cum quis certam pecuniam promittit, nisi ita fieret, ut
puta Titius stipulatus est à Sejo: *Si qua mihi nupserit, 10. dotis no-*
mine dare spondes? Restipulatur Sejus à Titio: *Si non nupserit, 10.*
dare

dare spondes? Tertium denique genus sponsonis tale esse dicunt: cum alter ex contrahentibus alteri, sine 10 tradit, interposita stipulatione, vel pacto inito, nisi ita erit, duo tanta restituat, vel tria tanta, vel etiam sexcenta tanta. Beneven. Stracch. in d. tr. p. 2. per tot. Christina. volum. 2. decis. Belg. 200. n. 11. III. Sponsones etiam dispelci possunt in honestas & inhonestas. IV. in serias & jocosas. V. denique divisio est, quod sponsones alia sint de futuro, alia verò de præterito aut præsentis. Zoës. ad tit. de aleat. d. n. fin. Strein. in summ. jur. Canon. p. 2. t. 12. § 2. n. 1. Sed de his omnibus plura in seqq.

Caus. Eff. remota.

VII. Causam efficientem sponsonum remotam juri Gentium adscribendam esse ex historiis tam sacris, quam profanis colligere possumus. Et ex sacris quidem historiis nota est illa sponsio Samsonis, quam cum Philistæis hoc pacto iniit, ut, si illi intra septem dies convivii nuptialis ænigma propositum solverent, daret iis Samson 30. sindones, & totidem tunicas, quòd si autem solvere ænigma non possent, ipsi darent Samsoni 30. sindones, & totidem tunicas: quâ de re vid. Iud. 4. vers. 12. & seqq.

VIII. In profanis verò historiis occurrit memorabilis illa sponsio, (sic enim vocatur à Straccha, d. tr. p. 1. n. 2.) inter Antonium & Cleopatram, quam refert Plin. lib. 9. N. H. c. 35. circa fin. ubi de unionibus loquitur, singulari illo & ferè unico naturæ opere, quos dicta Cleopatra unâ cœnâ absumenta erat, ut in sponsione cum Antonio factâ vinceret. Huc pertinet etiam illa historia, quam recenset idem Plinius, lib. 7. N. H. c. 37. ubi de Asclepiade Medico metaphoricè loquens, dicit eum sponsione factâ cum fortunâ, ne Medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse, victorem evasisse, quòd in decrepitâ senectute, non morbo aut ægritudine, sed lapsu scalarum fuerit exanimatus, prout hæc ita refert Grivell, decis. Dolans. 57. n. 17. & 18.

IX. Quinimò antiquissimum omninò fuisse sponsonum usum ipsorum quoque Poëtarum fabulæ loquuntur: ita legimus apud Maronem Eclog. 3. de sponsione inter Menalcam & Damocetam his verbis conceptâ: Dam.

7.

Dam. Vis ergo, inter nos, quid possit uterq; vicissim
 Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
 Bis venit ad malætram, binos alit ubere factus)
 Depono, tu dic, mecum quo pignore certes?

Men. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
 Est mihi namq; domi pater, est iniusta noverca:
 Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.
 Utum id, quod multò tate ipse fatebere maius,
 (Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
 Fægina, cœlatum divini opus Alcimedontis. &c.

Sic etiam inquit Ovid. lib. 1. de arte amandi:

Dum loquitur, tangitq; manu, poscitq; libellum,
 Et querit, posito pignore, vincat uter?

X. Quemadmodum ergo omni, ut ex dictis patet, tem-
 pore sponsiones frequentari consueverunt: ita illas apud vete-
 res quoque Romanos (quibus nullos unquam in rebus politicis
 prudentiores exitisse ait Grivell. decis. Dolan. 57. n. 16.) in usû fuisse
 ex Juvenali, Satyr. 11. & Tertulliano, libr. de spectac. cap. 16. abundè
 probat Rosinus lib. 5. A. R. cap. 5. Unde non immeritò earundem
 causam efficientem propinquam s. intermediam juri Civili, &
 quidem in specie Legi Titia, & Publicia, & Cornelia adscribere
 possumus. per sepè d. l. 3. ff. de aleat.

Caus. eff. pro-
 pinqua.

XI. Possunt autem sponsionem facere omnes, qui non
 prohibentur. arg. l. 43. §. 1. ff. de procur. l. 12. ff. de judic. & quoniam
 sponsiones modò per stipulationem fiunt, modò per contractum
 innominatum, nonnunquam etiam per nudum pactum; deniq;
 quia etiam ad donationes proximè accedunt (id quod tam ex di-
 ctis, quàm adhuc dicendis patescit) concludendum videtur, eos
 quoque sponsionem inire non posse, quicumque vel donare, vel
 pacisci, vel quovis modo contrahere prohibentur.

Caus. eff. pro-
 xima.

XII. Causa ad ineundam sponsionem compellens non
 debet esse cupiditas lucri, per ea quæ tradit Santern. d. tr. de affec.
 & spons. p. 2. n. 23. & Scaccia. de comm. & camb. d. §. 1. q. 1. n. 95. nec ni-
 mia facilitas, & inconsultus calor: (quò respexisse videtur Ro-
 ftedus, allegatus à Grivello decis. Dol. 57. n. 7. ibi: frequenter eve-
 nit, quod multi sint ita faciles, ut quando dicitur aliquid ita esse, & ex

Impulsiva

B

altera

alterâ parte negatur, dicant postea inter se, ponamus pignus, quoddam est, & sic ponunt; quo usque venit, ut multi simplices multa amittant, & aliquando imperiti iudices sit contrahentes condemnent. &c.) sed spon- siones vel solatii ergo fieri debent: Santern. d. n. 23. vel virtutis ostendenda gratiâ. Scaccia. d. n. 59. interdum etiam veritatis ser- vanda, & tempus non inutiliter inter socios collocandi causâ. Freundeberg. tr. de rescript. morator. tit. 10. conclus. 68. n. 56. vide Sta- tuta Francof. ibi: Dann die Bettungen mehr umb Kurkweil/ dann gelts oder guts willen zugeschehen pflegen. Wehner. in obs. pract. voce wetten / vers. ult. ferè in fin. quamvis eas recreationis er- go inventas non esse scribat Ludovic. Lopez, allegatus à Scacc. d. §. 1. q. 1. n. 91. inf.

Materia.

XIII. Circa materiam sponsonum omnium primò vi- dendum erit, de quibus igitur rebus sponsones facere liceat; tum etiam quid quantumque in victoriam vel deponi possit, vel ab utrâque parte promitti.

XIV. Quod ad prius attinet, ante omnia causas oportet inspiciere, super quibus sponsones interponuntur: Si enim cau- sa sponsonis turpis sit, vel inhonesta, adeoque contra bonos mores, sponso omninò erit illicita. arg. l. 17. §. f. ff. de P. V. l. 3. ff. de aleat. l. 26. l. 123. ff. de V. O. Santern. d. tr. p. 2. n. 5. Barnab. Cornaz- zan. decis. Lucens. 214. n. 1. Strein. in summa jur. Can. d. p. 2. tit. 12. §. 2. n. 3. Hinc si sponsones causâ libidinis, odii, æmulationis aut contentionis initæ sint, non valent. Covarruv. in cap. peccatum. 4. de R. I. in 6. Besold. ad ordin. provinc. Würtemb. fol. 210. n. ult.

XV. Hæc cum ita sint, facile apparet, quid sentiendum sit de tali sponsonem: si Titius plagium fecerit vel non: Eam videli- cet omninò invalidam esse, per d. l. 123. ff. de V. O. Neque inter- est, sitne dictus Titius alteri ex spondentibus coniunctus vel non: etiamsi enim planè extraneus esset, facilè tamen posset contingere, ut stipulator cum Titio vel de quotâ lucris paciscere- tur, vel quid aliud promitteret, ut hic tale facinus perpetraret. vid. Santern. d. tr. p. 2. n. 11. 12. & 13.

XVI. Pari ratione non valet sponso: Si puellam corrupe- ris. Mynsing. ad c. si cautio. 13. X. de fid. instrum. n. 24. Sicut nec il- la, quando duo concertant, uter alterum vincat edendo vel bi- ben-

bendo. per c. 14. X. de vit. & honest. Cler. Stracch. d. rr. p. 4. c. 7. n. 1.
 P. Santern. d. p. 2. n. 6. & 7. Christinae. volum. 2. decis. Belg. 200. n. 18.
 Strein. in summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 3. Befold. ad Ord.
 provin. Würtemb. fol. 210. n. ult. Nec obstat l. 4. pr. ff. de aleat. ad quam
 in conflictu datâ occasione respondebo. vid. interim Stracch.
 d. c. 7. n. 7. Eiusdem farinae est & ista sponsio: *si hoc anno Titium
 occideris: & si quæ sunt similes.*

XVII. Sic etiam nullius momenti sunt sponsiones su-
 per ludis prohibitis (iis scil. qui virtutis causâ non fiunt) inter-
 positæ. per l. 2. §. 1. & l. 3. ff. de aleat. Stracch. d. rr. p. 4. c. 4. n. ult.
 Mynsing. ad c. 13. X. de fid. instrum. n. 24. Christinae. volum. 2. decis.
 Belg. 200. n. 15. Bertazzol. lib. 2. consult. decisiv. 379. n. 3. Unde spon-
 sio eorum, qui taxillis ludunt, quod alter altero plura puncta
 faciet, meritò improbat à dd. Autoribus dd. II. frustra dissenti-
 ente Decio, cons. 115. n. 2. & 3. His consequens est, quod impro-
 banda etiam sit conventio eorum, qui taxillis ludentes inspici-
 endo, sponsionem faciunt, uter ex lusoribus victurus sit? Stracch.
 d. c. 4. n. 1. Christinae. d. decis. 200. n. 16. Befold. ad ord. prov. Würtemb.
 fol. 210. n. ult. Si tamen lusor eiusmodi, postquam omnem ferè
 substantiam suam ludis prohibitis dilapidavit, recipiat ab aliquo
 20. & promittat 50. si in posterum luserit, cum per talem con-
 ventionem boni mores non lædantur, sed potius conserventur,
 eam omninò valere: promissoremque, etiam cum ipse non luse-
 rit, sed alium suo nomine ludere fecerit, nihilominus teneri,
 cum Bartolo in l. ex ea. 121. §. 1. ff. de V. O. tradit Stracch. d. rr. p. 4. c. 6.
 per tot. adde Christinae. d. decis. 200. n. 17.

XVIII. Atque hæc quidem aded vera sunt, ut tales
 sponsiones non valeant, etiam si accesserit stipulatio, fideiussio,
 pignus, jusiurandum, vel instrumentum aliquod, per l. 112. §. f. ff.
 de leg. 1. l. 5. C. de LL. l. 7. §. 16. ff. de pact. c. si diligenti, 12. X. de for. comp.
 An autem lucrum ex inhonestâ & prohibitâ sponsione acquisi-
 tum, à victore, si absque dolo & fraude sponderit, retineri
 queat? dubitari potest. Et retineri quidem posse putat Strein.
 in summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 3. Contrarium tamen statuit,
 victoque depositi pignoris repetitionem competere asserit P.
 Santern d. p. 2. n. 6. & n. 31. & seqq. Cui & ego subscribo per
 B 2 expres-

expressum textum in l. 17. §. fin. ff. de P. V. ibi: *planè si inhonesta causa sponsonis fuit, sui annuli duntaxat repetitio erit.* Consentit P. Gregor. Thol. *syn. jur. univ. lib. 23. c. 3. n. 6. in fin.* Denique etiam illud probè notandum est: ea scilicet, quæ hæctenus de causis sponsonum turpibus & inhonestis dicta sunt, de futuris potissimum intelligenda esse: etenim, quin de præteritâ aliquâ re vel causâ turpi & inhonestâ (v. c. *An Titius Regem interfecerit?*) sponso fieri possit, nullibi prohibitum reperitur. vid. supra laudat. Dn. Lauterb. *in prælect. publ. ad tit. ff. de aleat. d. §. ult. membr. 14.*

XIX. Ex dictis luculenter apparet, sponsones super solis rebus & causis honestis fieri posse. Christinæ. *d. volum. 2. decis. Eclg. 200. n. 12.* Schneidevv. *ad §. sub conditione. l. de V. O. n. 15.* iisque omnibus, siue seriæ sint, siue jocosæ; Et jocosæ quidem sponsonis exemplum non iniucundam, ex Francisco Pfeil. *cent. 1. consil. 34.* referunt Wehner. *in observ. pract. voce letite.* & Freundeberg. *de rescript. morat. tit. 10. conclus. 68. n. 57.* ad quos Lectorem brevitatatis studio remitto.

XX. Quamvis autem, ubicunque pro virtute certamen non fit, ibi sponsones quoque fieri non licere putent Azo & Rosfredus, teste Stracchâ. *d. 11. p. 3. n. 1.* quos sequi etiam videntur P. Gregor. Thol. *in syn. agm. jur. univers. lib. 23. c. 3. n. 6.* & Barthol. Bertazzol. *consult. decisivar. lib. 2. consil. 379. n. 1. 2. 3.* & seqq. pro quorum sententiâ non parum facere videtur l. 3. ff. de aleat. Ego tamen contrarium omninò verius esse, & ad d. l. 3. pro fundamento dissentientium adductam ita responderi posse putarem: Marcianum videlicet ibi reprobare quidem sponsones initas super ludis & certaminibus, quæ non fiunt virium aut virtutis exercendæ causâ, (has enim nullius momenti esse, supra quoque l. 17. sufficienter demonstratum est) eo ipso tamen alias sponsones, super re vel causâ aliquâ honestâ & licitâ, cuiusque eventus quodammodo incertus est, contractas minimè secludere vel prohibere. Nam si textus iste in genere intelligeretur de omnibus omnino sponsonibus, quæ fiunt sub incerto eventû, parum sanè concordia esset inter eum, & alios omnes, quibus passim pacta & conventiones sub conditione aliquâ non inhonestâ admittuntur & approbantur, r. r. ff. de V. O. Grivell. *deais. Do-*
lat.

l. an. 57. n. 12. & 15. P. Santern. d. tr. de affec. & spons. p. 2. n. 21. Straccha. d. p. 3. n. 2. Carpzov. l. F. part. 2. c. 19. def. 18. n. 4. & 6.

XXI. Nihil autem interest, fiantne honestæ sponſiones super rebus futuris: (ut quòd Christiani contra Turcas victoriam obtenturi sint) an super præteritis, (ut Classem ex Indiâ feliciter appulisse) aut præsentibus: (ut summum Pontificem adhuc vivere). Strein, *in summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 1. Scaccia. de comm. & camb. d. §. 1. q. 1. n. 100. ferè in fin.* Dum modo ad sponſionem nunquam deveniatur, nisi de re & causâ aliquâ dubiâ & contingente disceptetur. Carpz. *l. F. p. 2. const. 19. def. 18. n. 7.* Id quod in sponſionibus super rebus futuris contractis, cum uterque spondentium æqualiter se det periculo, expeditum est; quando autem sponſio sit de re præſenti aut præteritâ, necesse est, ut res illa aliquo modo dubia sit utrique, ita, ut de eâ non sit ita certus, quin decipi, & illud, de quo conventum est, amittere possit. vid. Zoës. *ad ff. tit. de alear. d. n. f. Molin. d. l. & l. r. 2. Disp. 508. n. 1.* Sed de his agendum etiam erit infra *th. 42.*

XXII. Extra omnem itaque dubitationis aleam positum est, valere sponſiones: quòd hæc vel illa Civitas capta; quòd Caesar hostem vicerit; quòd Titius in Capitolium ascenderit; & similes, de quibus vide P. Santern. *d. tr. p. 2. passim.* item: quòd cras evit pluvia. Matth. *de Affl. decis. 389. n. ult. Titius erit Consul Romanorum vel non. l. 29. ff. de V. O. Imperator erit Rex Angliæ. Stracch. d. tr. p. 4. c. 3. n. 1.* Sic etiam valet sponſio de Principis vel alterius adventu, & tunc, licet Princeps vel alius casu fortuito impediatur, tamen vincit negans, quia talis sponſio factum respicit, non voluntatem, per ea quæ tradit Besold. *in thes. pract. voce wetten / vers. wann einer wetzete &c.*

XXIII. Prædictæ sponſioni similis est & illa: *Si navis ex Asiâ venerit: nam & in hoc casu non inspicitur, an voluerit, vel potuerit navis venire: sed an venerit, vel non.* Besold. *d. loc. ad. de Fr. Cardin. Mantic. decis. Roman. 297. n. 5. & 6.* Quod si autem hoc modo concipiatur sponſio: *Si navis talis in portum talem, tali die pervenerit, ducentos aliamve summam conventam dabo:* dubitari potest, an dicatur navis in portum pervenisse, quæ signa quædam portus ingressa fuit? Pro negativâ facit *l. 19. ff. de V. S. ubi*

B 3

portus

portus dicitur locus conclusus, quò importantur merces, & inde exportantur: cum enim à propriâ vocabuli significatione faciliè recedendum non sit, *l. 69. pr. ff. de leg. at. 3.* & in re dubiâ melius sit conventionis verbis servire: *arg. l. 1. §. 20. ff. de exerc. act.* idè neque hoc loco propriam portûs significationem ad eiusmodi signa extendendam esse tradit Straccha *d. tr. p. 4. c. 9. per tot.* Sed quid, si in ipso portû navis adhuc mergeretur? Hoc casu, cum navis omninò in portum pervenerit, dicendum est, ea, quæ in sponsione promissa fuerunt, exolvenda esse: atque ita respondet Christinae *vol. 2. decis. Belg. 201. n. 3.* Denique nec illud omitendum; sponsione factâ de nave venturâ, vel non venturâ, nihil interesse, si ve rostrata navis veniat, si ve alia quæcunque, per ea quæ habet Straccha *in sæpè citato tract. p. 4. c. 10. per tot.*

XXIV. Præterea admittuntur etiam sponsiones de pugnâ, saltu, vel celeriore cursu factæ, *vid. l. 2. & 3. ff. de aleat.* ut scilicet minus pugnans, saltans vel currens perdat positum vel promissum. Mynsing *ad d. c. 13. X. de fid. instrum. n. 24.* quò casu etiam ille positum perdit, qui post factam sponsionem pugnare, saltare vel currere recusat. Besold. *ad Ord. Prov. Würtemb. fol. 210. n. 11.* Strein. *in summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 3. in fin.* Stracch. *d. tr. p. 4. c. 15. per tot.* idque argumento *l. 7. §. 2. ff. de tribut. act. l. 32. ff. de V. S.* quemadmodum enim nihil tribuens vel solvens minus tribuere vel solvere intelligitur: *dd. ll.* ita qui omninò non pugnat, saltat, currit, minus pugnare, saltare vel currere censetur: propterea que nihilò tenetur minus, quàm si pugnando, saltando currendove succubisset: *gloss. in l. si gratuit am. 17. §. fin. ff. de P. V.* nec liberatur exceptione non impletæ conditionis, quia conditio tunc habetur pro impletâ, cum per eum stat, qui, si impleta esset, debiturus erat; uti loquitur Paulus *in l. 81. in fin. ff. de condit. & demonstr. vid. etiam l. 24. ff. d. r. l. 167. ff. de R. l. c. cum non stat. 66. de R. l. in 6.* & quicumque sub conditione obligatus, curaverit ne conditio existeret, nihilominus obligatur. *l. 85. §. f. ff. de V. O.* Neque enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstrictus. *l. 7. pr. ff. de C. F.* VVehner. *in observ. pract. voce zeste / zulekt. & voce wetten / versic. Hinc is. & c.*

XXV. Sed & super matrimonijs fieri possunt sponsiones, velu-

veluti: *Si Valeria Titio nubat, dabis 100? sin minus, ego tibi 100.* spon-
 deo: dummodo contrahentes nihil juris in Titium vel Valeriam
 habeant, quia sic facile cogi possent. vid. Santern. *d. tr. de asscur.*
p. 2. n. 2. Stracch. *d. tr. p. 4. c. 1. n. 4 & 5.* Christinae, *volum. 2. de-*
cis. 197. n. 2. in fin. Mynsinger. *ad cap. si cautio. 13. X. de fid. instrum. n.*
23. nec sponsio sit suspecta futura, propter familiaritatem fortè,
 ob quam alterutri parti persuaderi posset, ut matrimonium con-
 traheret: alioquin talis sponsio non valeret, quia coniugia li-
 bera esse debent: *c. gemma. 27. X. de sponsal.* Mynsing. *d. n. 23.*

XXVI. Eâdem ratione non improbanda est frequens illa
 sponsio super masculino vel fœmellâ nascituro, quia & illa causam
 non inhonestam continet, Stracch. *d. tr. p. 4. c. 12. n. 1.* Fitque hu-
 jusmodi sponsio nonnunquam etiam ab ipsis parentibus, verb.
 gr. cum quis ex uxore prægnante optat filium masculum susci-
 pere, contendit cum aliquo, quod illa fœminam paritura sit, &
 tale pactum concipit: *si pariet fœminam, dabis mihi 50. si masculum,*
ego tibi 50. vel etiam 100. dabo: qua de sponsione vid. Scacc. *d. tr. de*
de commerc. & camb. §. 1. q. 1. n. 95. Sed quid, si hermaphroditus
 natus fuerit? Decisio desumenda erit ex *l. 10. ff. de stat. hom.* Strac-
 cha. *d. c. 12. n. 1.* Quamvis sponsiones & concertationes su-
 per ingravidatione fœminarum illicitas esse, propter suspicio-
 nes & fraudes, quæ illarum occasione committi possent, dicat
 Christine. *vol. 2. decis. Belg. 200. n. 5.* Unde etiam sponsiones super fœ-
 minis prægnantibus factas, propter periculum supponendi par-
 tûs SCto Parisiensi reiectas esse, tanquam inhonestas, ex Philipp.
 Buignonio refert P. Gregor. Tholosan. *in syntagm. jur. univers. lib.*
23. c. 3. n. 6. vid. etiam Philipp. Pascal. *tr. de virib. patr. pot. p. 1. n. 93.*

XXVII. An super electione novi Pontificis vel Cardina-
 lis sponsiones admittantur? dubitatur: & Strein, quidem *in*
summ. jur. Can. p. 2. r. 12. §. 2. n. 4. pro negativâ calculum ponit. Af-
 firmativam autem non omninò improbare videtur Philipp. Pa-
 scal. *d. tr. de vir. patr. pot. part. 1. n. 93.* ubi adhuc aliam elegantem
 quæstionem proponit: An scil. ille, qui accepit 10. redditurus
 100. in casû, quo talis Cardinalis Pontifex erit electus, si con-
 tingat, eum mori in conclavi, antequam fiat Pontificis electio,
 teneatur restituere 10. quæ acceperat? Et statim responsionem
 subii-

subiicit, eum videlicet qui 10. sub tali conditione acceperit, omnino teneri ad illorum restitutionem, quia status conventionis est mutatus ex superveniente morte dicti Cardinalis.

XXVIII. An super sententiâ certo modo ferendâ sponsio rectè fiat? videri potest Anton. Tellaur. *lib. 2. qu. forens. 19.* allegatus à Besold. *in thes. pract. voce werten.* & Philipp. Pascal. *d. p. 1. n. 94.*

XXIX. Illud sanè difficultate non caret; An super futurâ hominis morte sponsio licitè contrahatur? Negativam indistinctè defendit P. Santern. *d. tr. de affec. p. 2. n. 8.* cùm, quia tales conventiones possunt dici plenæ tristissimi & periculosi eventûs; *arg. l. f. C. de pact. tum quia casum adversamque fortunam expectare liberi hominis neque civile, neque naturale est, l. 83. §. 5. vers. sed hoc. ff. de V. O. c. nulla. 2. X. de concess. prabend. & propterea sponsio & stipulatio in talem eventum concepta non valet, l. generaliter. 26. ff. d. t.* Sed Beneven. Straccha distinguere videtur, utrum sponsio facta sit super morte alicuius Magnatis (v. gr. Principis) an super morte hominis privati: & in illo quidem casû sponsionem fieri posse affirmat, in hoc verò negat: hac tamen subiunctâ limitatione; nisi is, super cuius obitû sponsio initur, voluntatem suam accommodet. *vid. tr. eius sæpius citat. p. 4. c. 1. per tot.* Quamvis autem hanc Stracchæ opinionem non omnino improbet Scaccia *tr. de comm. & camb. §. 1. q. 1. n. 97.* rectissimè tamen ibidem admonet, prudentius facturos esse eos, qui ab huiusmodi sponsionibus abstinuerint. Et statim in verbis seqq. subiungit aliam distinctionem, quâ attentâ difficultas omnis facile tollitur. Ponit autem duos casûs: primus est, quando ex eiusmodi sponsione irasci potest animus Principis, seu alterius personæ, etiam privatæ; & ex illâ irâ possunt sequi damna, aliq; inconvenientia: atque isto quidem casû sponsionem inhonestam, & propterea prohibendam dicit. Altero verò casu, quando scil. ex eiusmodi conventionem præfata damna & inconvenientia verisimiliter non timentur, sponsionem omnino licitam esse affirmat. Et subiicit statim huius secundi casûs exemplum: si verb. gr. Christiani facerent sponsionem de morte Turcæ, vel alterius Principis, qui Christiani nominis esset inimicus: quam sponsionem etiam admittunt Santern. *d. tr. de affecur. p. 2. n. 14. & 15.* & Griveh. *d. decis. Dolan. 57. n. final.*

XXX. Memorem promissi supra *th. 13.* facti, ordinis ratio me nunc admonet, ut etiam de qualitate & quantitate rerum, quæ in sponfione vel deponi vel promitti possunt, nonnulla proponam. Et de qualitate earum breviter tenendum: Spondentes in victoriam promittere vel deponere posse res omnes in commercio positas: hoc est, eas, quæ donari possunt, & de quibus stipulari vel pacisci non est prohibitum. Non solum igitur in pecuniâ numeratâ, *per l. 2. & 3. ff. de aleat.* sed & in illis rebus, quæ in conviviis vescendi causâ apponi solent, *l. 4. d. t.* & in annulis, *l. 17. §. f. ff. de P. V.* aliisque rebus sponfionem facere permissum est. Neque interest, si eadem res à spondentibus invicem deponantur, sive diversæ: sæpè enim promissio vel depositio toto genere differt, ut si unus pecuniam, alter arma promittat. *Strein. in summ. jur. Can. p. 2. tit. 12. §. 2. n. 1.* Ita legimus apud *Matth. de Afflict. decis. 389.* quod unus quantitatem certam lini, alter verò pecuniæ certam quantitatem promiserit; & apud *Poëtam in Eclog. 3. supra th. 9. citat.* ubi *Damœtas* vitulam, *Menalcas* verò pocula fagina deposuisse dicitur; sic etiam apud *Theocritum* inquit *Daphnis* ad *Menalcam*:

Μόγγον ἐγὼ θέσω, σὺ δὲ θεῖο γ' ἰσομέτορα ἀμύν.

h. e. vitulum ego deponam, tu verò depone agnum æqualem matri, *vid. P. Gregor. Tholos. in synt. jur. un. lib. 22. c. 3. n. 6.*

XXXI. Ratione quantitatis notandum, sponfiones non rectè ad unum solidum restringi. *arg. d. l. 17. §. ult. ff. de P. V. & eorum quæ proponit Matth. de Affl. d. decis. 389. Carpz. l. F. p. 2. c. 19. d. 18. Scabin. Lips. in resol. quest. insign. q. 129. per tot. Gœddæ. de contrah. & committ. stip. c. 6. n. 20. Dn. D. Brandmyll. in manud. ad jus Canon. diff. sponfio. non obstante l. ult. C. de aleat. de qua plura fortassis in ipso conflictu. Dummodo sponfiones non sint immoderatæ, aded, ut fortunæ maxima pars periclitari videatur. *Carpz. d. def. 18. n. 11. Hering. tr. de fideiuss. c. 18. n. 47.* interest enim *Reip.* ne quis se suâ malè utatur, uti loquitur *Antoninus Imp. in §. ult. 1. de h. qui sui v. alien. jur.* Quæ autem immoderatæ dicantur, iudicis arbitrio pro ratione circumstantiarum æstimari debere tradit supra laudatus *Dn. Lauterb. in d. §. ult. membr. 15.* Illud hoc loco quæri potest: an summam in sponfionem deductam iudex pro arbitrio suo moderari & diminuere possit? Quod adfirmare videtur *Wehner. in observ. pract.**

pract. d. voce wetten / in fin. ibi : Darumb auch solche wettungs-sachen / wann sie ins Recht gelangen / (wie etlich mahl geschehen) nicht nach der schärffe der Rechten / sondern der billigkeit / und gelegenheit aller umbstände nach sollen entschieden werden. Cui tamen rectè obloquitur Carpz. *d. def. 18. n. 15. & 16.* unde apparet sponfiones non bonæ fidei esse, sed stricti juris.

XXXII. Est autem promissio vel depositio non semper æqualis, sed aliquando utrinque par, aliquando maior unius, quam alterius. Strein. *d. p. 2. tit. 12. § 2. n. 1.* ut in casu Decii, *d. conf. 115.* ubi unus decem spondebat, alter centum. Grivell. *decif. Dol. 57. n. 27.* Besold. *ad Ord. provinc. VVürt. fol. 210. n. 12.* adeò, ut nec beneficium *l. 2. C. de rescind. vendit.* in his sponfionibus locum habeat; cum propter spontaneum contrahentium assensum, qui in eventum, immodicæ, imò totali læsioni sese scientes volentes subiiciunt, intentione, totum quod in sponfionem deductum est lucrandi, vel totum perdendi, unde suum jactare hoc ipso præsumuntur, neque ab alio, sed à semetipsis læduntur, *arg. l. 8. ibi: quia id actum intelligitur. ff. de C. E. beneficium* quippe rescissionis non datur ei, qui scivit, læsionem ultra dimidium, vel magnam, aut maximam futuram. Carpz. *p. 2. l. F. c. 34. d. 3. n. 4.* Arumæ, *ad d. l. 2. C. de resc. vend. Disp. 2. th 10.* tum quia in his sponfionibus nulla certi pretii vera aut verisimilis definitio, cuius ratione læsio ultra dimidium consideretur, vel æstimetur, fieri potest. Brandis. *in disp. ad d. l. 2. Heidelberg. anno 1609. habit. conclus. 62.* tum denique, quia sponfiones sunt stricti juris; per ea, quæ supra *th. prox. in fin.* diximus: in stricti juris autem conventionibus rescissionis beneficium locum non habere, patet ex iis, quæ tradit Arumæ. *ad d. l. 2. disp. 3. th. 20. per tot.* Dissentit Straccha *d. tr. p. 4. c. 13.*

Forma.

XXXIII. Relictâ materiâ, venio ad formam, ubi de variis ineundarum sponfionum modis agendum duco; si tamen prius essentialia earundem requisita breviter enumeravero. Ut itaq; conventio aliqua reverà & propriè dicatur sponfio, requiritur I. rei incertæ indagatio, cum præsumptione & spe, veritatem assequendi. II. Promissio vel depositio præmii respectu adversæ partis, cum obtinuerit victoriam, cui ex alterâ parte respondet pœna, dum se privat eo commodo, quod frustra sperabat. Strein. *in summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 1.* quibus addi potest III. Liber & spon-

taneus

taneus partium consensus, quia vocabulum spontè indicat liberam voluntatem. Anton. Monach. *decis. Bonon. 40. punct. 3. n. 12.* adde *supr. th. 1.*

XXXIV. Incuntur autem sponsiones variis modis: interdum enim per contractum innominatum fiunt, interdum per stipulationem: nonnunquam etiam per nudum pactum, per ea, quæ supra *th. 6. n. 2.* dicta sunt; quamvis eas tantum sponsiones, quæ interveniente stipulatione fiunt, validas esse putet Bertazzol. *l. 2. conf. 379. n. 9.* Interdum etiam hoc modo sponsiones fiunt, ut spondentes sese subiiciant arbitrio alicuius tertii, ut is iudicet, uter eorum vicerit, quo facere videtur *l. 11. §. 1. vers. quid ergò. ff. de recept. qui arbitr.* Hinc exempla sponsionum sub arbitrio tertii factarum passim occurrunt: Nam in sponsione inter Cleopatram & Antonium (de qua supra *th. 8.*) iudex fuit L. Plancus, *Plin. lib. 9. N. H. c. 35.* Inter Damœtam & Menalcam (quam sponsionem supra *th. 9.* recensuimus) iudex fuit Palæmon, *Virgil. Eclog. 3.* Ita etiam in sponsione inter Luctatium Conf. & Q. Valerium Pr. iudicem fuisse Attilium Calatinum, legimus apud *Valer. Max. lib. 2. c. 3.* Vocabantur autem eiusmodi iudices Recuperatores, *Stracch. d. tr. p. 1. n. 6. in fin.*

XXXV. Hic quæri potest: an licita sit sponsio hoc modo inita; Ego v. g. do tibi equum vel gemmam valoris scutorum 100. pro pretio scutorum 250. vel 300. non tamen mihi unquam solventorum, nisi cum tu uxorem duxeris, si eam non habeas, vel si habeas, nisi cum filium masculum susceperis? Et licitam eam dicit *Scacc. d. q. 1. n. 97. in pr.* Estque huic non absimilis & ista sponsio: quâ Titius accipit à Caio 100. eâ lege, ut reddere teneatur 200. si post duos annos, visâ urbe Româ salvus redierit in patriam, vel si uxorem duxerit, aut presbyter factus fuerit. *Scacc. d. loc. Strein. summ. jur. Can. p. 2. t. 12. §. 2. n. 5. Zoëf. ad ff. rit. de aleat. n. ult. Christin. vol. 2. decis. 199. n. ult. Hering. tr. de fideiuss. c. 18. n. 45.* Quamvis non desint, qui tales conventiones usurariâ labe laborare putent: sed malè; cum accessio & lucrum non accedat ratione moræ, sed ratione periculi & dubii eventûs: *Zoëf. d. loc. dubius* autem fortunæ eventus facit aliquando licitum id, quod alias reprobaretur: docente *Grivello, d. decis. 57. n. 11.*

Finis.

XXXVI. Finis sponsionis est, ut positum vel promissum

C 2

Incre-

Effectus.

lucreretur ille, qui victor extiterit, vel veritatem assecutus fuerit.

XXXVII. Effectus est vel primus, vel ortus. Primus est quoddam ex hisce conventionibus efficax oriatur obligatio, ob quam victus à victore in iudicio conveniri, & ad præstandum id, de quo conventum est, cogi potest. Nec obstat, quod sponsiones plerunque nullam legitimam causam niti videantur, quæ habilis sit ad producendum illud *συνάλλαγμα* quod in conventionibus requiritur, l. 2. §. 3. *vers. si quis. ff. de dol. m. & mct. except.* Respondetur enim negando: quia ipsa conditio in sponsione adiecta habetur pro causâ, & de aliâ causâ curandum non est, succedit enim cum extiterit loco causæ; uti probatur ex l. 108. ibi: *conditio etiam ex incerta personæ facta parere obligationem potest ff. de V. O.* Stracch. d. tr. p. 2. n. 4. & p. 4. c. 1. n. 2. Santern. d. tr. d. secur. p. 2. n. 3. Schneidev. ad §. sub conditione. l. de V. O. n. ult. Myns. ad c. 13. X. de fid. instr. n. 21. Scacc. d. §. 1. q. 1. n. 89. Christin. vol. 2. decis. 199. n. 1. & 2. Fr. Card. Mant. decis. Rom. 297. n. ult. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 11. n. 4. Grivell. decis. 57. n. 22. Matth. de Affl. d. decis. 389. n. ult. Et hæc quidem adeo vera sunt, ut procedant, etiam si conditio proprie dici non possit, ut illa quæ præsens vel præteritum tempus respicit; quamvis enim proprie non sit conditio, pro causâ tamen habetur, & obligationem parit, uti videre est in l. 37. ff. de R. C. Quinimò prædicta ulterius ampliari possunt, ut etiam vera sint, non solum quando ex conditione adimpletâ aliquid adest stipulatori vel promissori: (ut in l. 50. ff. de C. B. l. 19. §. 1. ff. de donat.) sed etiam tunc, quando conditionis eventus nullum adfert spondentibus commodum: (ut in d. l. 108. ibi: *si quis in Capitolium adf. enâ. rit. ff. de V. O.*) prout hæc omnia eleganter explicat Stracch. d. part. 2. n. 4.

XXXVIII. Effectus ortus sunt variæ actiones ex hisce conventionibus oriundæ. I. enim datur actio præscriptis verbis: d. l. 17. §. f. de P. V. Wehn. in obs. pract. voc. wetten. si scilicet aliquid datum fuerit, ut detur vel restituatur victori, quia talis sponsio refert speciem innominati contractûs do ut facias, vel facio ut des. Strein. ut summ. jur. Can. d. p. 2. t. 12. §. 2. n. f. Gæddæ. ad l. 7. ff. de V. S. n. 14. C. I. A. lib. 19. t. 5. th. 10. n. 13. Et directa quidem datur, quando partibus præsentibus: utilis verò, quando illis absentibus pignora sunt deposita. Stracch. d. tr. p. 4. c. ult. n. 2. Christin.

stin. vol. 2. decis. 201. n. 4. Besold. in thes. pract. voce wettett. II. datur actio ex stipulatû, si scil. per stipulationem sponsio facta fuerit. Besold. d. loc. eaque duplex, tam condictio certi, si certum sit, quod in sponsione promissum, quàm ex stipulatû, si incertum. fac. pr. 1. d. V. O. Stracch. d. p. 4. c. ult. Christin. d. decis. 207. n. 4. III. datur ex sponsione etiam condictio ex Lege, si scil. per statutum expressè sit introducta actio: vel etiam condictio ex consuetudine, si scil. nudo pacto sponsio facta fuerit. vid. nunquam satis laudat. Dn. Lauterb. d. §. ult. membr. ult. Quamvis autem secundùm nonnullos ex sponsione citra stipulationem nudo pacto inita nulla oriatur actio. Stracch. d. c. ult. Bertazzol. l. 2. conf. 379. n. 6. de consuetudine tamen contrarium observatur. vid. Besold. ad Ord. provinc. VVirt. fol. 210. n. 9. in fin. Moribus enim hodiernis, tam ex nudo pacto, modo seriò & deliberatò initum sit, obligatio & actio nascitur, quàm ex stipulatione: sive hoc ex jure Pontificio, c. 1. & 3. X. de pact. eiusvè juris interpretatione invaluit; sive ex eo, quòd posterioribus seculis grave visum fuerit, etiam in nudis pactis fidem fallere. Vinn in commentar. ad §. 1. I. de V. O. n. ult. Grœnev. tr. de LL. abrog. ad l. 10. C. de pact.

XXXIX. Et prædictæ quidem actiones competunt, quando honestam causam sponsio continet. Si verò causa sponsionis sit turpis vel inhonesta, pro diversitate circumstantiarum iterum diversæ emergunt actiones. Datur enim I. interdum condictio sine causâ, quando scil. penes tertium aliquid fuerit depositum, ut in casû toties repetitæ l. 7. §. f. ff. de P. V. Strein. in summ. jur. Can. d. p. 2. t. 12. §. 2. n. fin. II. interdum actio pro eo quod interest obligationem revocari, si quis fortassis aliquem dolo ad sponsionem traxerit. Stracch. d. tr. p. 4. c. 14. n. 1. & 2. Besold. in thes. pract. voce wettett. Quamvis hoc casû etiam III. ipsa de dolo actio locum habeat, per ea quæ tradunt Straccha & Besold. dd. IV. Quinimo IV. nonnunquam stellionatûs quoque crimen eiusmodi deceptoribus objici posse putat Straccha d. c. 14. n. f.

XL. Illud denique circa effectum sponsionum non est omissendum, quod jus ex sponsione acquisitum sit alienabile ac vendibile, sicut jus quæsitum ex quovis alio contractû. Quare potest

potest ius sponſionis donari, cedi & vendi, & quidem non ſolum pro eodem pretio, ſed etiam pro maiori, & minori, prout ſponſionis ſpes manet eadem, vel creſcit, aut decreſcit: quemadmodum hæc ita tradit, adductisque exemplis probat Scaccia. d. §. 1. q. 1. n. 100. in fin.

Contraria.

XLI. Venio ad contraria: inter quæ omnium primò offerre ſe videtur læſio, non quidè ea, quæ conſiſtit in inæqualitate depoſiti pignoris, quando ſcil. alter plus, alter duplo vel triplo minus depoſit promittitvè: (quod nihil referre ſupra th. 33. oſtendimus) ſed quæ conſiſtit in inæqualitate periculi & ſecuritatis. Scacc. d. tr. de comm. & camb. §. 1. q. 1. n. 124. verſ. reſtringe ſecundo. quod accidit, cùm una pars longè probabilior eſt quàm altera, & tamen æqualiter ſpondent: quod fieri non debere tradunt Molina de l. & l. t. 2. diſp. 507. n. 14. in med. & Scacc. d. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 10. n. 5. verſ. infero tertio notabiliter.

XLII. Multò magis igitur ſponſioni contrarius erit dolus, qui vitiat omnes conventiones. Scacc. d. tr. de commerc. & camb. d. ampl. 10. n. 7. & 8. Committitur autem in ſponſione dolus tunc, cùm alter omninò certus eſt. Zoël. in commentar. ad ff. tit. de aleat. n. ult. Bertazzol. lib. 2. conſ. 379. in addit. lit. C. & certitudinem ſuam occultans, alterum ad ſponſionem inducit. Strein. in ſumm. jur. Canon. p. 2. tit. 12. §. 2. n. 2. Grivell. deciſ. Dolan. 57. n. 15. & ſeqq. Si tamen poſt ſeriò declaratam certitudinem ab unò, alter nihilominus velit contendere, non poteſt videri iniuſta vel illicita ſponſio, nec turpe lucrum, cùm volenti non fiat iniuria. l. 1. § 5. ff. de iniur. l. 145. ff. de R. I. & pertinaci atque incredulo imputandum ſit damnum, quod ſentit. Zoël. d. n. ult. Strein. d. n. 2. Molina d. l. & l. t. 2. Diſp. 508. n. 1. in fin. Chriſtina. vol. 2. deci. 198. n. 3. Grivell. deciſ. Dol. 57. n. 25. Beſold. ad Ord. provinc. Würtemb. fol. 210. n. 10. in fin. Idem juris eſt, ſi is, qui certò ſciebat, poſtea dubitare incipiat: exponit enim ſe alicui periculo amittendi: licet ob puram putam pertinaciam alter amittat. Strein. & Molina dd. ll. Illud præterea hoc loco notandum: dolum vitiare ſponſiones non ipſo jure, ſed ope tantùm exceptionis, ſicut ipſas ſtipulationes, vid. l. 36. ff. de V. O. l. 5. C. de inutil. ſtip. Weſemb. π. tit. de V. O. n. ult. quia ſponſiones quoque ſunt ſtricti juris, per ea, quæ ſupra th. 31. in fin. dicta ſunt.

XLIII.

XLIII. Præterea etiam contraria sponsionibus est captio in verbis: exemplo sit frequens illa lusio: *was soll es gelten/ Ich kenne einen Stattschreiber/der weder schreiben noch lesen kan.* Besold. *thesaur. pract. voce wetten.* qui tamen (quod mirum) sibi- bimet ipsi contrarius videtur *in suo commentar. ad Ordin. provinc. Würt. fol. 210. n. 10.* Dissentit etiam Grivell. *decis. 57. n. 23 & 24.* qui Alciatum & Menoch. secutus: in his, inquit, contractibus ex naturâ actûs videtur licita verborum captio. Sed hanc Alciati opinionem meritò improbat Straccha *d. p. 4. c. 16.* vid. omninò Dn. D. Brandm. *d. diff. sponsio.*

XLIV. Ad contraria sponsionis pertinet etiam causa inhonesta, per ea, quæ supra *th. 14. & seqq.* dicta sunt. Item dubia promissio, post *Zaf. in l. 108. n. 11. ff. de V. O. Besold. in thes. pract. voce wetten.* vis & metus, argumento eorum, quæ supra *th. 1. & th. 33. in fin.* diximus; nam sponte & coactus expressè sibi invicem opponuntur *in l. 9. & l. 45. ff. ad SC. Trebell. Calvin. in lexic. jur. voc. sponte.* Denique sponsioni contrarius quoque est error, quoniam errans consentire non videtur: *l. 116. §. f. ff. de R. I. l. 15. ff. de jurisdict. & ea quæ per errorem fiunt, non dicuntur sponte fieri: Joann. Sichard. consul. matrim. 10. n. 67.* quod tamen in sponsione requiri sæpè diximus.

XLV. Coronidis loco subiungo affinia. Magnam itaque cum sponsionibus nostris affinitatem habent ludi fortunæ: *Zoës. ad ff. tit. de aleat. d. n. ult.* Unde sponsionem & ludum fraternizare dicit Scacc. *d. tr. §. 1. q. 1. n. 86. & 101.* Differt autem sponsio à ludò in eo potissimum, quod ex sponsione (si modò, quod semper præsupponimus, honesta sit) oriatur obligatio ad producendas actiones efficax; vide supra *th. 37. Tapat. in decis. 111. 539. c. 5. Magon. decis. Flor. 8. n. 2.* ex ludò verò victori non datur actio, sed victo datur potius repetitio. Scacc. *d. q. 1. n. 111.* Cur autem ludi fortunæ prohibeantur, rationes tres reddit *Christin. d. volum. 2. decis. Belg. 198 n. 1. ferè in fin.*

XLVI. Affinia etiam sponsionibus sunt omnis generis exercitia, ut pilarū ludus, torneamenta, aliaq; certamina equestria & militaria, quæ in aulis & urbibus, Principum & Nobilium.



lium exercendorum gratiâ institui consueverunt; quibus etiâ sponſiones ut plurimum inſervire ſolent. Freundeb. *tr. de reſcript. morat. tit. 10. concl. 98. n. 56.*

XLVII. Pertinent præterea ad affinia ſponſionis **com-**promiſſum, per ea, quæ diximus ſupra *th. 34. depositum & ſequeſtrum*, Strein *in ſumm. jur. Can. d. p. 2. t. 12. §. 2. n. f.* vid omni- nò P. Greg. Thol. *S. I. v. lib. 23. c. 3. n. 5. & ſeq.* ſtipulatio. Dn. Tabor. *Juriſpr. Elem. part. 3. ſect. 4. th. 38. n. in d. 1000.* fideiuſſio. Hering. *tr. de fideiuſſor. d. c. 18. n. 42. & ſeqq.* Affecuratio, de quâ vide Strein. *d. t. 12. §. 1.* Scacc. *d. q. 1. n. 128. & ſeqq.* Santern. *in ſepè d. tr. per tot.* Sortes, de quibus vide Strein. *d. tit. 12. §. 3.* Molin. *de l. & l. t. 2. Diſp. 507. per tot.* Nauticum fœnus *t. t. de naut. fœn.* Pacta quoque & do- nationes, imo etiâ contractûs innominati. *vid. ſupr. th. 11. & th. 38. n. 1.*

XLVIII. Huc etiâ referri poteſt ſponſio illa de decimâ litis, quæ olim in litis exordio contrahebatur de calumniâ, qua actor & reus decimam litis partem ex ſummâ in libello judici oblato comprehenſâ æſtimatâ, conventionis lege deponebant, mulctam videlicet futurâ temerè litigantis. *vid. §. 1. verſ. hæc autem omnia. l. de pœn. temer. litig. Gœdd. ad l. 7. n. 2. ff. de v. s. P. Greg. Thol. S. I. v. lib. 23. c. 3. n. 7.* Cui non abſimilis eſt ἡ παρακατάβολη (h. e. de- positio certæ pecuniæ) apud Athenienſes olim frequentata. Provocans enim adverſarium ſponſione, dicebat apud Magiſtra- tum: *Spondeo me tantam pecuniam daturum, ni vir honeſtus fuero.* Gell. *lib. 14. N. A. c. 2. in ſin.* allegatus ab Hering. *tr. de fideiuſſ. d. c. 18. n. 44.* Quamvis ſponſionem illam decimæ litis, & hanc παρακατάβολην pro ſynonymis habeat Gœdd. *d. n. 2.*

XLIX. Cognata denique ſponſionibus etiâ eſt emtio vel ſtipulatio jactûs retis, *l. 12. ff. de act. emt. Gœdd. de contr. & committ. ſtip. c. 6. n. 20.* cuius farinæ etiâ eſt caſus ille, qui habe- tur *in l. 11. §. ult. ff. d. t. cùm indaginem à venatore, vel ab aucupe pantheram emimus: quâ de re fuſus agit Stracch. in tit. 10. alle- gat. tr. p. 4. c. 3.* Atque his de materiâ ſponſionum breviter deliba- tis, reliquis autem in commodius tempus reſervatis, DEO OPT. MAX. ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula!

F I N I S.

ULB Halle
006 682 197

3



VDM





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



FIGURALIS

33.

NIBUS

12

igen. 4662, 1.

uciã

RITATE

I AMPLISSI-

ORUM

ntoratenfium

jure honoribus

ura subjicit

US Appold

I S.

